

Mens iuvenum stulta, doctrinis¹ non bene culta,
Si non sit fulta virtute, facit mala multa.

Vilis prelatus sic fit viciis saciatus:

Catto regnante, mures hic querit ut² ante.

Iussa Dei cernis, que, demens clerice, spernis,
Ac animam sternis, preponens yma supernis.

Ecclesie multe tibi sunt, per te male culte.

Cur inconsulte sic erras, clerice stulte?

Tu fructus quarum male tollens, ius animarum

Negligis atque parum curas attendis earum.

Falleris errore, cum mente putas leviori

Hec tua posse fore sine curis atque labore,

Dotes mercaris Christi nec in hiis famularis,

Et male versaris cum fructu ter macularis.

Cur, miser, expendis misere, quod tu male prendis?

Sic nimis³ offendis Christum, laqueum tibi tendis.

Clericus armatus fit in armis sepe gravatus.

Veste chori fretus canit alter et est bene letus.

Vita decens gratum dedit olim pontificatum,

Quem belli cultus non confert atque tumultus.

Clerus tonsuram iustam tegit, et sibi duram

Mundi pressuram⁴ sic intimat esse futuram.

Dic⁵ michi, quid speres id agens, qui nil retineres

Et pauper fleres, si⁶ cleri sorte careres'.

1) 'doctrinis' Hs. 2) 'et' Hs. 3) 'mimis' Hs. 4) So f. 89',
wo die vier letzten Verse nochmals geschrieben sind; hier 'presuram'.
5) F. 89': 'Miser quid sp.' 6) Es steht 'sic', 'c' ist aber verschmiert,
d. i. getilgt, aber fol. 89' richtig 'si'.